

Führung in lateinischer Sprache durch das Zentrum Wiens

Diese Führung wurde erarbeitet für die Tagung der LVPA im August 2003.

WIENER HOFBURG (ARX IMPERIALIS VIENNENSIS
sive ARX IMPERATORUM ROMANORUM GENTIS
HABSBURGENSIS)

Eingang der Österreichischen Nationalbibliothek

*In Exedra quando sumus,
non curamus, quid sit humus...*

“In exedra“, vel potius
“ante“ Exedram sumus,
medio in Foro, quod
“Heroum“ dicitur!

In hoc Foro Austriae
ducum optimorum statuas
equestres videre potestis!
Alter dux Eugenius
Princeps de gente Savoya
est, qui Turcarum
exercitum anno 1683 in
fugam deiecit, et alter
Carolus Archidux
Generalissimus, qui


regem Francorum, cui, ut inter omnes constat, Napoleon
nomen erat, pugna Asparnensi (vel pugna apud Asparn
commissa) anno 1809 devicit.

Utraque statua a sculptore excellentissimo nomine
ANTONIO DOMINICO FERNKORN confecta est. Is enim
valde operam dedit, ut uterque equus posterioribus tantum
pedibus innixus staret, metuitque imprimis, ne Caroli
Archiducis equus corrueret! Qua de causa cura et angor in
eius pectore diem ex die ita creverunt, ut e vita excederet.

Vides, ut altus stet Carolus Archidux cum vexillo Austriaci
exercitus! Dum progreditur, ad pugnam milites fortiter
incitat. Idem et Princeps Eugenius de gente Savoya:
utrumque monumentum etiam bellum universale alterum
(imprimis annos millesimum nongentesimum
quadagesimum quartum et quadagesimum quintum)
incolume mansit.

NEUE BURG: Arx Nova

Haec palatii ala saeculo undevicesimo exeunte (id est anno
1881) sub auspiciis imperatoris Francisci Josephi I. exstructa
est, ut in fronte palatii legere potestis. Ei enim in animo erat
magnum forum civitati et civibus exstruere, cum urbis
moenia, quae Napoleon ante deleverat, diruerentur. Alta
urbis moenia anno 1857 secundum edictum ab imperatore
ipso editum diruta sunt. Deinde imperatori consilium erat
hanc exedram et hoc forum instruere, quibus magnificentia
Habsburgicae domus reluceret. Hinc Museum Historiae Artis



et Museum
Historiae Naturalis
respicere potestis;
deinde Museum
Ephesium, ubi urbis
Ephesiae reperta
exponuntur; in hac

exedra ianua quoque est, qua „Museum omnium gentium
orbis terrarum“ intrare potestis, quod Germanice “Museum
für Völkerkunde“ dicitur.

Si oculos ad laevam partem vertitis, ianua quoque alteram,
quae Bibliothecae Nationis Austriacae est, videre potestis.
Ex loco edito, quem ibi supra portam videtis, dictator ille
crudelissimus nomine Adolfus Hitler orationem nefandam ad
plaudentem populum Vindobonensem anno millesimo
nongentesimo quadagesimo quinto habuit.

BURGTOR - PORTA ARCIS

Postquam Napoleon anno 1809 moenia et munimenta
deleverat, Porta arcis, quae vulgo Burgtor dicitur, ab
architecto Peter Nobile facta est, ut pugnam a populis apud
Lipsiam contra Napoleonem commissam semper in
memoriam reduceret. Post bellum universale primum porta
renovata et mutata monumentum heroum illo bello
occisorum facta est. Post bellum universale secundum et
monumentum militum, qui contra fascismum pugnaverant,
additum est.

Vor dem Leopoldinischen Trakt.

Laeva parte tractus Leopoldinus videri potest, qui ita dicitur,
quia imperator Leopoldus 1. anno 1666 eum fieri iussit. Hic
nostris temporibus sedes Praesidentis Rei Publicae Austriae
est, qui Thomas Klestil vocatur. In hoc tractu vel “braccio“
Maria Theresia saeculo duodevicesimo cum imperatore
Francisco Stephano de Lotharingia vixit.

Im inneren Burghof:

Haec est (dextera parte) arcis antiquissima pars, quae saeculo
tertio decimo exeunte ab Ottokaro Bohemorum rege
exstructa est et fossa aqua repleta circumdata est. Quia fossa
circum moenia erat, ponte, qui tolli et demitti poterat,
(Zugbrücke) opus erat!

Haec porta “Helvetica“ dicitur, Germanice “Schweizer Tor“,
quia Maria Theresia cohortem Helveticam hic habuit; si hac
porta intratis, in aulam “Helveticam“ ire potestis, vulgo
“Schweitzerhof“, ubi sunt ecclesia, vel potius “Capella Arcis
Imperatorum Viennensium“, quae Germanice
“Hofburgkapelle“ dicitur, et Thesaurus Domus
Habsburgensis, qui hodie

„Schatzkammer“ dicitur. In Thesauro Habsburgensi coronae et insignia Imperatorum Domus Habsburgensis custodiuntur.

Franciscus Iosephus I. vetus palatii opus a Carolo VI. inchoatum a Maria Theresia et Iosepho II. continuatum anno 1893 perfecit.

PLATEA MICHAELIS


Haec platea lingua Germanica „Michaelerplatz“ dicitur, quod est platea Sancti Michaelis. Quo nomine platea appellata est de ecclesia Sancti Michaelis, quae ecclesia aetate Habsburgensium ecclesia parochialis domus Caesarum fuerat. Post frontem huius fani, quae frons stilo neoclassicistico mutata et refecta est, latet fanum vetustum stilo tardo-Romanico sive Gotico priore confectum.



DOMUS LOOS

Aspicite nunc domum valde famosam ornamentorum egentem: Haec domus ab architecto illo clarissimo et famosissimo Adolpho Loos anno 1910 stilo moderno aedificata est. Secundum hunc stilum illa domus solum ad utilitatem spectat et eget ullius ornamenti. Ea de causa

civibus Vindobonensibus illius temporis et domus illa et architectus Loos summo odio fuerunt.




CAFETERIA GRIENSTEIDL

Et Cafeteria „Griensteidl“ digna est, quae commemoretur, quia hanc in cafeteria saeculo undevicesimo p. C. n. viri litterati illustrissimi velut Arthur Schnitzler, Hermann Bahr sive Hugo de Hofmannsthal convenerunt ad colloquia.

PORTA MICHAELIS vel potius TRACTUS MICHAELIS


In fronte huius plateae porta Sancti Michaelis spectari potest, qua porta Arx Habsburgensium, quae lingua Germanica „Hofburg“ dicitur, intratur. Hoc loco, quo nunc portam Sancti Michaelis videtis, usque ad annum 1888 theatrum arcis - vulgo Burgtheater - fuit. Deinde illud theatrum destructum et in via Ringstraße maius et pulchrius refectum est. (Sed nomen prius retinuit et usque ad hoc tempus „Burgtheater“ dicitur. Hoc theatrum est unum e clarissimis theatris fabulas lingua Germanica conscriptas edentibus.)



Porta Michaelis a quattuor signis Herculis quasi protegitur. Haec signa Herculis anno 1893 a quattuor diversis sculptoribus (nomine Edmund Hofmann, Josef Lax, Johann Scherpe, Anton Paul Wagner) confecta opera diversa Herculis in memoriam referunt velut Herculem cum Hydra pugnantem sive Herculem Cerberum domantem sive Herculem Proteum liberantem sive Herculem et Deianeiram. Aliae duae statuae allegoricae imperia maritimum (in sinistra parte) et terrestre (in dextra parte) Habsburgensis Monarchiae repraesentant. Multis enim Caesaribus et regibus Europae placuit se forma Herculis monstra vincentis populis suis praebere.

RELIQUIAE ROMANAE

Media in platea Michaelis ad radices urbis Vindobonensis redire possumus. Hoc enim loco reliquiae nonnullae aetatis Romanae effossae sunt. Romani - ut accuratius dicam legio decima tertia - anno fere 50 p.C.n. castra prope oppidum Gallorum in monte quodam Leopaldi situm fecerunt, ut provinciam Pannoniam a Germanis trans Danuvium incolentibus protegerent. Prope illa castra, quorum reliquias postea spectabimus, canabae, quo nomine casae minimae et simplicissimae prope castra sitae appellari solebant, erectae sunt. Illis in canabis fabri, agricolae et ceteri homines, qui militibus usui essent, quin etiam meretrices et concubinae militum habitare solebant. Hic videmus coniunctionem duarum viarum: quarum una e castris in canabas supra memoratas fert et altera erat via limitis, quae secundum limitem Danuvii fluminis aedificata semper summi momenti erat. Videmus et moenia latissima eminere: Haec non a Romanis erecta sunt, sed reliquias hortuli cuiusdam arcis Habsburgensis esse scimus, qui Paradeisgartl dicebatur. (Vindobona temporibus Romanorum magni momenti non fuit. Provincia Pannonia duo capita habuit, quae fuerunt Carnuntum et Aquincum. Carnuntum nunc iam non incolitur et arte archeologica excepta nullius momenti est, Aquincum autem! nunc Budapest dicitur et est caput Hungariae. Vindobona autem temporibus Romanis parva et minoris momenti erat. Anno ducentesimo duodecimo demum primum iure civitatis donata est et decem fere saeculis post anno 1221 iterum iure civitatis aetate Babenbergensium donata est. Saeculo decimo septimo post Turcos fugatos Vindobona caput Austriae facta demum florere coepit.)



FORUM sive MERCATUS CARBONUM et FOSSA

Mercatus carbonum, qui olim fuerat, nunc est via mercatoria clarissima, qua in via merces pretio summo offeruntur. In hac via, quae fossa nuncupatur, res elegantissimae maximi pretii veneunt.

Hoc loco antiquis temporibus fossa sita erat, qua moenia castrorum Romanorum defenderentur. Saeculo decimo tertio ineunte obruta est, cum gens ducum Babenbergensium oppidum amplificandum et novis moenibus per pinnas et turres roboratis circumdandum curaret.

De hac obrutione fossae cives Vindobonenses fabulam narrant: Rex Anglorum quidam nomine Richardus Primus cognomine "cor leonis", qui cruciatam in Hierosolimam duxerat, ibi Leopoldum regem Austriae Babenbergensem iniuria affecit. Deinde rex Anglorum per Austriam in patriam suam rediens captus et in vincula coniectus est. Angli autem eum pecunia maxima redemerunt, quam pecuniam Vindobonenses ad fossam replendam impenderunt. E Fossa non solum via sed etiam platea facta est.



Nos, quibus tempora Romana cordi sunt, non ignorare debemus hoc loco fundamenta portae Praetoriae castrorum Romanorum post bellum universale secundum inventa esse.

Si hunc in viculum progredieremur, qui Naglergasse dicitur, curvaturam moenium castrorum admirari possemus. Illa domus nostri temporis in fundamentis castrorum Romanorum aedificata est. Et in altera parte, quae est platea Sancti Stephani, forma castrorum servata est:

Duabis in viis Kohlmarkt et Graben nunc exquisitissimae et pretiosissimae tabernae inveniuntur, e quibus multae iam temporibus Habsburgensium exsistebant et domum Habsburgensem mercibus suis delectabant: Heidwein ille, ut exemplo utar, anulos et adamantes praebuit, Denk opus cisellatum, J.B. Filz filius unguenta et Knize vestimenta exquisita Caesaribus praebuit. In Cafeteriam „De L 'Europe“ interdum cives Vindobonenses, noctu autem meretrices, quae per iocum nymphae Fossae nuncupabantur, convenerunt et aetate Hitleri homines pauperes, qui ex Germania Vindobonam fugerant, eo convenerunt ad colloquia velut Bertold Brecht sive Walter Mehring. Postea in Americam confugerunt.

Fontes Iosephi et Leopoldi

Hanc aream medio aevo terminaverunt. Fontes imaginibus historiae Babenbergensium orati sunt. Quamquam ductus fossae quae dicitur et viae Kärntnerstraße statum mediaevalem adumbrant, frontes domuum stilo saeculi undevicesimi exeuntis et vicesimi ineuntis aedificatae sunt.


Loos-WC-Anlagen

Etiam Vespasiana, ut latrinae publicae nuncupari solent, ab Adolpho Loos stilo iuvenili aedificata digna sunt, quae visitentur non solum ad necessarios vitae usus.

COLUMNA TRINITATIS CONTRA PESTILENTIAM ERECTA

Anno millesimo sescentesimo septuagesimo nono inter incolas Austriae pestilentia magna orta est (quattuor annis ante oppugnationem Vindobonae per Turcos factam). Iam hoc anno ineunte plus quam quadringenti homines mortui sunt. Quia Vindobona incolis quasi abundavit, permulti Vindobonenses morbo affecti sunt, ita ut usque ad mensem Novembrem huius anni ad quinquaginta milia hominum morerentur.

Eodem anno ab imperatore Leopoldo I. sanctae trinitati et novem choris angelorum haec columna vota est, quae urbi saluti esset. Primum columna lignea erecta, deinde marmoreo lapide exstructa tandem trinitatis die anni 1693 sacrata est.



Legite nunc titulos! Imperatorem Leopoldum suppliciter orantem quaerite!

Pergamus ad ecclesiam Sancti Stephani!

Ecclesia sancti Petri iam a Karolo Magno fundata esse dicitur. Monumentum, quod dicitur "baculum in ferro" cum clavis in ligno fixis est signum fabrorum. Quicumque arte fabrorum eruditus erat, clavum hic figere debebat.

Si hanc ecclesiam accuratius inspexeritis, varios stilos aedificandi discernere poteritis.

Qui sunt stili huius templi?

Quae sunt veterrimae partes huius aedificii?

Quae res nobis sub oculos cadit, si turres spectamus?


Cui rei turris iam non confecta nobis indicio est?

Ecclesia episcopalis rebus gestis Austriae respondet: Saeculo XII. (tertia post Sanctum Rupertum et Sanctum Petrum) aedificari coepta est, sed nihil restat.



Porta gigantum et turres paganorum Saec. XVI tectum turris septentrionalis confectum est. Saec. XVII et XVIII Barockisatio facta est. Saec. XIX diversae modificationes factae sunt. Saec. XX (1945) incendio destructum et devastatum est. Signum O5 signum resistentis populi temporibus

dictaturae erat. Renovata est et iterum aedificata impendiis novem rerum publicarum foederalium Austriae: tectum, organon, campana (OÖ), ara etc. e diversis regionibus Austriae Vindobonam missa sunt.



Romanis stat.

INTERRUPTIO HORAE DIMIDIAE

FORUM ALTUM (Hoher Markt)

Hic porta principalis dextra castrorum inventa est post bellum universale secundum, ut et in opere musivo videre potestis. Bello illo enim multa aedificia deleta reficienda erant. Haec fuit occasio, qua et archaeologi usi sunt ad substructiones perscrutandas. De illa porta nunc media in castra iter fecimus, quae in colle prope Danuvium sito facta sunt. Ille collis et tribus ex partibus fluviis protectus erat: una ex parte Danuvio, altera rivulo quodam, qui Ottakringer bach dicitur, et tertia flumine,



quod eodem nomine, quo urbs, Vindobona dicitur.


Haec platea antiquissima urbis Vindobonae est, olim fuerat locus praefecturae castrorum, centrum scilicet castrorum.

Media in platea videmus fontem nuptiarum Sancti Iosephi et Sanctae Mariae, qui fons anno 1729 a Leopoldo primo stilo barocco erectus est.

HOROLOGIUM ANKER

Cottidie hominibus in memoriam refertur hac in urbe et Caesarem Romanum Marcum Aurelium moratum esse:

Videte horologium Anker, quod dicitur: una quaque hora signum unius hominis claris simi Vindobonensis




praeterit. Ut exempla afferam: Marcus Aurelius, Waltharius Vogelweidensis cantator ille sive Iosephus Haydn compositor operum musicorum praetereunt. Solum hora sexta diei omnes communes apparent et a multis visitoribus Vindobonae visuntur. Horologium illud „Anker“ dicitur, quod societas securitatis Anker, quae dicitur, anno 1914 illud horologium civibus Vindobonensibus dono dederat. (A temporibus Mediaevalibus usque ad annum 1839 hac in platea in aedificio, quod Schranne dictum est, iudicia habita sunt et ex exedra huius aedificii enuntiata sunt.)

In via Wipplinger, quae fuerat via principalis castrorum, curia

Mediaevalis Vindobonae sita est. Quae domus in principio sedes civis cuiusdam famosi nomine Otto Haymo fuerat. Qui coniurationem fecerat ad regem Habsburgensem

Albrechtum primum interficiendum et


Vindobonam ab Habsburgensibus liberandam. Quod facinus ei non contigit, Haymo invicem in foro alto capite multatus est. Domus eius autem urbi reddita et curia facta est. Nunc tabularium documentorum resistentiae Austriacae hoc in aedificio locatum est: documenta photographiaeque resistentiae contra dictaturam Austrofascisticam ab anno 1934 usque ad annum 1936 adhibitae et resistentiae contra fascisticam nationalem dictaturam ab anno 1938 usque ad annum 1945 adhibitae exposita sunt. In aula huius aedificii fons Andromachae a Georgio Raphael Donner factus visitoribus summae admirationi est.



VIA WIPLINGER, FOSSA ALTISSIMA


Per fossam altissimam rivulus, qui Ottakringerbach dicebatur, manavit. Qui rivulus nunc in cloacam urbis inductus est. Castra Romana autem ripa ardua illius rivuli protegebantur. Ut certe scitis, castra a Romanis in collibus fieri solebant, quod et hic factum est. Via, quae nunc Wipplingerstraße nominatur, tunc via principalis fuerat ez hoc loco reliquiae portae principalis sinistrae inventae sunt.

Urbs nostra multa aedificia ab Otto Wagner architecto illo praeclarissimo aedificata habet. Videte et pontem illum in fossa alta stilo iuvenili factum. Architectus ille et stationes traminum transurbanorum summae pulchritudinis aedificavit. Si tramine hypogaeo numero quattuor utemini, nonnullas stationes ab illo architecto aedificatas videbitis.



ECCLESIA SANCTAE MARIAE IN RIPA DANUVII SITA

Haec ecclesia Gotica, quae temporibus prioribus in ripa ardua Danuvii sita erat, supra fundamenta Castrorum Romanorum aedificata est. Spectantibus ecclesia quasi puppis navis esse videtur. Quae Ecclesia viris dedicata est, qui Danuvium flumen linitibus frequentabant. Danuvius ante centum quinquaginta fere annos temporibus Caesaris Francisci Iosephi regulatus nunc tribus alveis urbem praeterit. Alveus prope hanc ecclesiam situs antea maximus fuerat, nunc autem minimus est et „cloaca Danuvii“ (Donaukanal) dicitur. Maximus alveus nunc extra urbem situs est et Danuvius Novus nominatur.



Ecclesia Sanctae Mariae saeculo decimo quarto facta duas picturas Goticas Sanctae Mariae annuntiationis et coronationis summi artificii praebet nec non fenestras vitreas aetate Mediaevali coloratas. In Ecclesia in sarcophago vir sanctissimus urbis Vindobonae nomine Clemens Maria Hofbauer sepultus est, qui vixit ab 1751 usque ad annum 1820.

Inter Ecclesiam et Danuvium area Iudaeorum vestimenta vendentium fuisse traditur.

ECCLESIA SANCTI RUPERTI

Haec ecclesia antiquissima urbis in area Castrorum Romanorum sita est. Castra anno fere 400 p. C. n. a Romanis relicta et a populis migrantibus paene omnino destructa sunt. Moenia autem relicta tribus saeculis post, id est saeculo octavo sive nono, populis vagantibus summo usui erant. Tunc enim arx et vicus parvus intra moenia Romana facti sunt. Ecclesia huius vici ab archiepiscopo Salisburgensi viro Sancto eius regionis nomine Ruperto dedicata est. Paulo post et vicus alter intra moenia a colonis Bavaricis fundatus est, cuius ecclesia Sancto Petro dedicata est. Et haec ecclesia usque ad hoc tempus exstat, sed stilo Barocco mutata et quasi corrupta est.



Ab anno 976 regio Ostarrichi, quae lingua nostra Ostmark dicitur, ad fines orientales tutandos a Caesare Germano Henrico instituta et regibus Babenburgensibus mandata est. Anno fere 1100 regio castrorum Romanorum rursus tota aedificiis tecta erat. Quo tempore primum regio extra moenia sita aedificiis obstrui coepta est. Haec regio, in qua nunc ecclesia domus Sancti Stephani eminet, saeculo duodecimo (1137) pactione a Leopoldo quarto episcopo Batavensi tradita est.

Ecclesia Ruperti stilo Romanico facta est, ut ex fenestris biforicis curvatis apparet. Ecclesia fenestras vitreas aetate tardo Romanica pictas praebet, turre ecclesiae non, ut fieri solet, ad orientem solem, sed ad occidentem spectat.

Hinc et plateam Morzin ad ripam Danuvii sitam videmus. Ubi nunc est pratium, aetate Hitleri fuit hospitium nomine „Hotel Metropol“, ubi cohors quaedam nomine Gestapo sedem suam habuit. Ibi multi homines uque ad mortem vexati sunt, qua de re et nunc monumento recordamur.

VICUS SEITENSTETTEN

Hoc in vico Synagoga Iudaica ab architecto Iosepho Kornhäusel aedificata est. Si vicum perscrutabimini, non facile discernetis, ubi sit illa synagoga. Kornhäusel enim iussu Caesaris Francisci Iosephi, qui interdixerat, ne fana Iudaeorum et Protestantorum extrinsecus discernerentur, synagogam insulae similem aedificavit.



Qua re haec synagoga tempore socialistico nationali anno 1938, quo pogroma Novembre - id est persecutio Iudaeorum - factum est et ceterae synagogae urbis destructae sunt, servata est. Milites enim veriti sunt, ne insulas adfines destruerent. Sed intrinsecus et haec synagoga devastata est.

VICUS ASTRORUM (Domus numero 4)

Et hic mememur de Marco Aurelio, cuius signum hic aspicere possumus. Hoc in vico anno 1962, quo insula hoc loco sita destructa est, saxa quadrata Romana inventa sunt, quae sunt reliquiae thermarum castrorum. Marcus Aurelius, quamquam philosophiae studere maluit, tamen cum Quadis et Marcomannis, populis Germanis, pugnare debebat et ei contigit, ut eos populos, qui iam in Italiam usque ad Padum flumen summa vi progressi erant, rursus trans Danuvium repelleret. Hi populi omnia castra praeter Carnuntum vastaverunt. Et Vindobonae archaeologi probaverunt castra a Marcomannis expugnata et destructa esse temporibus Marci Aurelii Imperatoris.


JUDENPLATZ - FORUM IUDAEORUM

Forum Iudaeorum media in civitate Iudaeorum fuit, quae saeculo quarto decimo et quinto decimo ineunte media in urbe Vindobonensi exstabat, et videri iam non potest.

Hic fuerunt Iudaei usque ad annum 1421 (mill. quadringentesimum vicesimum primum), quo autem anno Iudaei a Vindobonensibus in vincula redacti et combusti sunt, quod Germanice vel potius Latino (ex Graeco) vocabulo Holocaustum vel "Holocaustoma" dicitur! Hoc fuit historiae civitatis Vindobonensis primum Holocaustum contra Iudaeos expietum!

Intra vias, quae hodie "Jordangasse" et "Kurrentgasse" vocantur, Iudaeorum templum, id est "Synagoga" erat, quae anno 1421 diruta est.

Medio in Foro hodie monumentum nostri temporis est, quod de cultu et moribus Iudaeorum monet: hic multos libros videre potestis, et omne monumentum "Iudaeorum bibliotheca" vocari potest, ubi veteris Testamenti leges, quae Iudaeorum sacrae sunt, servantur. Hoc monumentum a sculptrice quadam nomine Rachel Whiteread fictum de Iudaeorum Holocausto, quod ab anno 1938 usque ad annum 1945 actum est, monet.



LESSINGDENKMAL

Hoc est monumentum poetae excellentissimi Germani, id est Gotthold Ephraim Lessing, qui saeculo duodevicesimo vixit (1729 - 1781). Sed Socialisti Nationales hoc monumentum destruxerunt, ex quo arma facerent. Triginta fere annos post (1968) alterum monumentum ab eodem sculptore quo primum fictum in platea Morzin positum et tredecim annis post iterum huc in plateam Iudaeorum translatum est.



ECCLESIA APUD ARCEM BABENBERGENSEM Kirche am Hof (von der Seitzergasse aus gesehen)

Hic apsidem ecclesiae vulgo „am Hof“ - id est apud arcem Archiducum Babenburgen-sium sitae videtis, quae ecclesia saeculo duodecimo exeunte ab Henrico secundo „Jasomirgott“ stilo Gotico exstructa est. Nunc „Apud novem choros angelorum“ vocatur.

Frons eius ecclesiae stilo barocco renovatus est. De exedra Papa Pius Sextus anno 1786 ad populum Vindobonensem orationem habuit contra Caesarem Iosephum fihium Mariae Theresiae, qui multas ecclesias et monasteria clausit et profanavit. Et Papa nostri temporis Johannes Paulus Secundus hinc orationem habuit.



Videte statuas angelorum, quibus novem chori angelorum significantur, qui sunt potestates, virtutes, vires, principatus, dominationes, angeli, archangeli, cherubim et Seraphim.

COLUMNA SANCTAE MARIAE

Hic aspiciete columnam Sanctae Mariae, quae draconem, qui est diabolus, contrivit.

